

DISSERTATIO,
DE
AMBARVALIBUS
PONTIFICIORUM,

von der Greuß-oder Bett-Hochen,

QUAM,

AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI,

DN. FRIDERICI,

HASSIÆ LANDGRAVII RELIQ.

ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

PRÆSIDE

JOH. ADOLP. HARTMANN,

HIST. ET ELOQUENT. PROF. P. O.

PLACIDÆ GENEROSORUM ET NOBILISSIMORUM
DD. COMMILITONUM DISQUISITIONI.

DIE XXIV. AUGUSTI ANNO R. S. H. MDCCXL:

HORA X. MATUTINA,

IN PHILOSOPHORUM *ἀκροατήριον*,

SUBJICIET.

CHRIST. ANDR. SCHEERER,

MARBURGENSIS - HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,

TYPIS PHILIPP. CASIMIR. MULLER. ACAD. TYPOGR.

33.

a. XC VII. 53.

Coll. diss. A
47, 53

D I S S E R T A T I O
D E

A M B A R V A L L I B U S
P O N T I F I C I O R U M

von der Kunst oder Art des

ROMM.
A S T R O L O G I E

GERENISSIMUS PRINCIPIS ET DOMINI
D N F R I E D R I C H

HASSIAE LANDGRAVI RELIG.
ACADEMIE RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI



J O H A D O L F M A R T M A N N

Hist. et Floguent. Prof. P. O.
PLACIDE GEMEROSORUM ET NOBILISSIMORUM
AD COMMITTONUM DISQUISITIONE
DIE XXIV. AUGUSTI ANNO R. S. H. MDCCXI.


HORA X. MATUTINA

IN PHILOSOPHORUM ACADEMIA
SUBJICIT

C H R I S T A N D R S C H E E R E R

Marsburgensis - Hassia

MARSBURG LATTORUM
TYPIS PHILIP. CASIMIR. MULLER. AD. TYOG.



I. N. D. I. C.

Supremum Numen, utpote Munificentissimum vitæ nostræ omniumque, quæ nos circumstant, bonorum Auctorem, Datorem & Conservatorem, ut propter infinitas, easque ipsi intrinsecas, perfectiones, ita & propter innumera, in singulos mortales collata, quot momentis, beneficia amandum, & cultu cum interno, tum externo, colendum esse, ut ratio evincit, ita & constans Gentium cultiorum usus id ipsum testatur. Ea convicti veritate populi, ingenio & moribus elegantiores, ut Reip. suæ cives ad colendum Deum Beneficentissimum publico excitarent exemplo, & publicas instituerunt Ceremonias & dies festos selegerunt, cum ut, quam Deo debebant, venerationem gratitudinemque publica pietate testarentur, tum ut nova ab Optimo & Beneficentissimo Numine sibi conferri beneficia prece supplicii & rogarent, & non sine felicitatis suæ augmento obtinerent, quod ipsum & nostra ætate usu receptum cum videamus, ab usu Academico alienum nequaquam

quam existimavimus, si publicas illas Pontificiorum Ceremonias, quibus sic dictos *Rogationum Dies* obeunt, sub examen vocaremus, visuri, an quid in receptis per eos dies ceremoniis deprehendatur, quod cum genuino Dei cultu & ipsa Sacrarum Ceremoniarum natura nequaquam conveniat.

§. I.

Si solennes illas horum Dierum Ceremonias intueri libeat, videbimus, præter præscriptam isto tri-duo a carni-um esu abstinentiam, Pontificios singulis diebus publicas per plateas non tantum civitatum ducere supplicationes, sed non raro etiam extra urbium portas supplicabundos abire; audimus pro frugibus terræ dandis conservandisque votiva carmina concini, at videmus etiam, v. g. Monasterii Westphalorum, illum ipsum supplicabundorum ordinem variis ornari Ceremoniis, quod enim urbs in plures dispescatur Parochias, ex quavis Parochia adest non tantum aliquis, qui crucem, labaro dependulo conspicuam, præferat, sed quamvis illorum sequuntur duo laici, veste alba, qua missam celebrantes uti solent, ornati, ferculum gestantes, cui imposta est Deiparæ statua, singulis Parochiis propria, quæque quot diebus novo vestium apparatu exornatur; ad quæ illud, ulu receptum, accedit, quod pueri puellæque ea præcipue die, qua extra urbem abitur, singulis fere corribus instruuntur, quos coctis ovis, panibus, placentis aliisque eduliis, imo non raro etiam potulentis fartos videmus, tum ad sepes aut dumeta exhauriendos, cum CLERUS missa cantanda fuerit occupatus. Imo in ipso extra urbem loco, ad quem acceditur, recepta & usu approbata,

bata, consuetudine prostant & esculentorum & potulentorum propolæ, qui placitura ingluviei |dulciaria oculis & appetitui proponunt.

§. II.

Et vero gratiarum actionem publicam & religiosas ad Deum preces pro dandis & conservandis frugibus quod attinet, nemo adeo in Deum O. M., nemo in rationem suam adeo, erit injurius, quin, has ipsas a mortalium quovis fundendas esse, intelligat, utpote nequaquam ignarus, quidquid boni aut evenire nobis potest, ab Uno Optimo Numine in nos proficisci, quidquid vero nobis incumbere potest mali, ab una Ejus & Bonitate & Potentia a nostris cervicibus averruncari.

§. III.

Solennitates autem illæ & Ceremoniæ, an idipsum complectantur & in memoriam reducant, cujus iis diebus illos meminisse oportet, profecto non adeo liquet, sed in dubium non sine ratione revocari potest.

§. IV.

Cum enim Ceremoniæ sint signa eorum, quorum nos meminisse oportet, ut propositum nostrum exsequamur. (*Philosophiæ Practicæ universalis Wolfii Part. Poster. §. 442.*) Unde merito postulatur (*ib. §. 443.*), ut Ceremoniarum institutio sit rationi conformis, & (*§. 450.*) statuitur, Ceremoniam, si aliena a præsentis negotio in animum revocet, & attentionem ab iis, quæ agenda sunt, ad aliena trahat, absurdam esse, imo (*§. 465.*) si Ceremonia nullo fine adhibeatur, nullam esse, & (*§. 480.*) si in actu indecoro consistat, rejiciendam, non sine ratione quis ambiget,

an non Ceremoniæ illæ *Rogationum* (§. 1.) enarratæ, absurdis, nullis & rejiciendis merito sint annumerandæ.

§. V.

Finis quem in his *Diebus Rogationum* intendunt Pontificii, est cum Deo gratias agere, tum vero etiam eidem supplicare, ut quod repetitis vocibus canunt, fruges terræ dare & conservare dignetur, quo in fine nihil est sane, quod Momus arguat. Cumque sapiens omnia propter finem agat, id primo attendendum erit, an Ceremoniæ hæ, ut finem supplicabundi consequantur, aliquid conferant, adeoque sint signa eorum, quorum supplicabundos hos meminisse oportet, ut propositum suum exsequantur.

§. VI.

Qua in re si negativam tueamur sententiam, ab ipsa veritate non aberrabimus; quod enim omnes inter notum sit, a sapiente ea eligi media, quæ ad finem intentum & tutissime & brevissime obtinendum conducunt, nemo non videt, adhibita hisce diebus media nec tutissima esse nec brevissima, ut Deus O. M. inclinetur ad fruges terræ summa cum liberalitate & indulgentia dandas & conservandas.

§. VII.

Quis enim credat, Deum Benignissimum, qui, omnibus utilia sibi & salutaria demissa pietate & ardenti cum fiducia petentibus, se ea concessurum, promisit, Ceremoniis hisce inclinandum, ut precum harum intuitu fruges terræ donet, & donatas jam ad messem usque conservet? potius, cum ingens ille diversusque apparatus spectantium oculos percellat, diversitate colorum, vestium variarum pompa mentem
a præ-

a præfenti negotio, exorando fcilicet Clementiffimo Numine, avocet, imo in eas non raro reducat cogitationes, quæ Parochia Marianam ftatuam pretiofiore veftium apparatu exornarit, prærogativamque ex ea ipfa re merita videatur, abfurdam hanc effe Ceremoniam, nemo non, a partium ftudio alienus & præjudiciis liber, fecum definierit.

§. VIII.

Ubi etiam data liberis efculenta & potulenta, quæ corbibus conclufa e brachio geftant quis intuebitur, pronum ei erit, judicare, ab his iplis rebus animum puerilem a præfenti negotio, exorando nimirum Clementiffimo Deo, avocari, imo pueros, dulciariorum cupidos, & novæ illius voluptatis, quæ a captis in viridi prato, aut fub arbore, folia & Gemmas protrudente, cibus percipi poteft, avidos, alia omnia cogitare, atque ut preces digna Ente Perfectiffimo attentione, pietate & religione fundant. Neque alia licet exfpectare ab adultioribus, utpote quibus cognitum, fe ea, quæ fecum geftare ipfi erubefcunt, a dulciariorum & potulentorum venditoribus pretio comparare poffe, unde & frequenter accidit, ut hi, inita diebus præcedentibus plurium focietate, hortum aliquem aut locum alium amœnum animo designatum habeant, in quo conventuri fint, & percipiendæ a novo vere voluptati concordibus animis fint litaturi. Quæ ipfa anon & animos illorum a præfenti avocent negotio & ad aliena trahant, vix quispiam, humanarum actionum non omnino rudis, & quid memoria & imaginatio in ferie cogitationum turbare foleat, non penitus ignarus, aufit indubium vocare, eaque fimul ratione

tione

tione non poterit non, quin hanc ipsam Rogationum ceremoniam aut consuetudinem absurdam esse secum definiat.

§. IX.

Non dicemus, hæc ipsa jentacula sumpta, imo enatas ex eorum occasione computationes, nulli fini Diebus his Rogationum proprio, adhiberi a sapiente posse, id tamen omittere nequimus, non posse a nobis cum fine conciliari ceremonias. §. I. enumeratas, cui enim fini septem cruces, septemque fercula Deiparæ statuis, iisque quot diebus novo vestium apparatu conspicuis, onerata, albæque illæ fercula illa portantium vestes inserviant. Utut enim liberalissime etiam concederemus, inspectam a Supplicabundorum agmine Christi e cruce perdentis effigiem pietatem excitare, & sequentium corda ad Mediatorem Christum in cœlos usque posse elevare; Utut admitteremus etiam tantisper Deiparæ, quam ipsi mediatricem esse Christum inter & homines falso licet sibi persuadent, statuat, a comprecantibus & concinentibus inspectam, Religiosam devotionem magis posse inflammare; id tamen nemo non videbit, quod Pontificius ipse, nisi suis pertinaciter inhæreat præjudiciis, sex saltem cruces & sex Marianas statuas, uti & vestes illas albas ita adhiberi, fateri debeat, ut nullius illa finis media haberi queant, eaque simul mente fateatur, & hanc Ceremoniarum usitatarum partem nullam esse.

§. X.

Addamus nunc hisce §. VIII. enumerata edulia, enatas ex iis computationes, & nemo non videbit, Ceremonias istas jure meritoque rejiciendas.

§. XI.

§. XI.

At dicet aliquis, teste *Venerand. SCHMIDIO* in *Historia Festorum pag. 138.* hanc Rogationum celebritatem non illi institutam esse Scopo, ut pro frugibus terræ dandis & conservandis Deus invocetur; sed solennes illos supplicabundorum circuitus institutos esse a *MAMERTO*, Episcopo Viennensi in Gallia circa Annum 466. ut solennibus illis Litaniis, una cum tri-duana a carnibus abstinencia conjunctis, Ecclesia supplicaret Deo, ut a morte subita & ab omni infirmitate defendatur, qui ad hoc institutum inductus fuisse memoratur a *DRESSERO de Fest*, quod vastis tum terræ motibus Gallia concuteretur, spectra viderentur, lupi & ursi, portas urbium ingressi & per plateas vagantes, homines terrerent. Quod enim quivis, istis supplicationibus præsens, audiat ex Litaniis tertia semper vice verba hæc concini: *ut fruges terræ dare & conservare digneris*, & ab aliis succini: *Te Rogamus audi nos.* Sane non alium licet supplicationum harum finem concipere, atque quem §. i. diximus; quod ipse præfixus homini scopus ex ejusdem actionibus & sermonibus quam certissime possit dijudicari.

§. XII.

Et vero demus etiam, aliquem harum Processionum finem esse, ut, quod *MAMERTUS* intendit, terræ motus, spectra, ursi & lupi ab hominum pernicie avertantur. Cum, eo insipientiæ, sapientes alias, mortales prolabi posse, vix audeamus statuere, ut censeant, quod illa crucum multitudine, illa statuarum frequentia, ea omnia ab hominum cervicibus possint averruncari, quod feræ ipsæ non tam fustibus

B

quam

quam telis gravioribus, depellantur, ne humano generi damnum inferant; Spectra vero, de quorum existentia merito licet dubitare, isto apparatu, si existent, vix fuganda videantur; in terræ vero motibus aut sopiendis aut etiam procul avertendis totus iste apparatus vix mediæ instar existimari queat; profecto non apparet, qua ratione ceremoniæ istæ Rogationum, si vel ex dicto MAMERTI sine institutæ essent, ab absurditate, nullitate & indecoro essent absolvenda.

§. XIII.

Quod vero in MAMERTUM, non illaudatum alias Viennensium in Gallia Episcopum, absurda adeo cadere posse, non censeamus; alia istarum Ceremoniarum ratio, finis alius merito videtur statuendus, quem cum ratione humana qualicumque saltem ratione pro temporum istorum circumstantiis melius convenire appareat. Quem non sine fundamento in seculorum istorum, jam a puritate Ecclesiæ primitivæ deficientium non tantum, sed & erroribus Arii & Arianorum multitudine non parum defœdatorum, circumstantiis nos deprehendere posse nobis videmur.

§. XIV.

Vivebat MAMERTUS seculo a nato Christo Quinto, quo tempore & gentilium adhuc, Francorum viribus ipsa Gallia occupabatur, ipsi etiam Gothi, Arii doctrina infecti, ex Italia in eam irruerant, sedes ibi suas fixuri & dogmata sua Ariana cum Gallis communicaturi. Quin eo tempore complures adhuc fuerint in Gallia ethnici, is solus dubitare potest, qui seculi illius Historiam & Galliæ statum ignorat. Quin itaque MAMERTUS, ne Gentiles, qui eo

scdm

tempore in Galliam vivebant, aut gentilibus accederent Francis, aut cum Gothis facerent, omnem sibi adhibendam esse operam censuerit, ut suæ eos ecclesiæ adjungeret, vix est, quod liceat ambigere.

§. XV.

Id vero ut faceret, quod in aliis jam olim factum esse gentilibus Romanorum ceremoniis, ipse usus nos docet, & a tot eruditis jamdudum est demonstratum, ut scilicet exterior illa sacrorum Gentilium pompa cum simplicitate Religionis Christianæ copularetur, Gentilesque, ad Christi ecclesiam transeuntes, minorem experientur rituum usurpatorum mutationem, id ipsum & sibi agendum esse, quin secum definierit, vix dubitamus, quod pronum esset sperare, futurum, ut Gentiles adhuc superstites visa omnium ceremoniarum in cultu suorum Deorum sibi familiarium, inter Christianos etiam communione tanto facilius Viennensi se adjungerent ecclesiæ.

§. XVI.

Quod vero celebrata Romanis, juxta *Kalendarium Rusticum Farnesianum* exeunte Majo Ambarvalia deessent adhuc, neque, ut *Virgilius* canit, segetes ritu solenni lustrarentur & agri, huic etiam ceremoniarum horum defectui a Gentilibus adscripta non raro esset agrorum sterilitas, depopulationes, reliquaque mala, hanc etiam ceremoniam in subjectas sibi ecclesias introduxisse creditur a nobis **MAMERTUS**. Ut enim, quod **CATO** *de Re Rustica Tit. 241.* Romanis solenne fuisse memorat, suo vetaurilia cum Divis volentibus circumagi non jusserit, quod docente Religione Christiana sciret, istiusmodi Genti-

lium hostiis Deum O. M. nequaquam placari posse, ritum tamen solennem agros, quod Romani faciebant, circumeundi adoptavit, cui, cum, teste **DEMPSTER** *ad Antiq. Roman. Rosin. pag. 23.* Romani nunquam sua celebrarent Ambarvalia, quin epulis Deos agrorum præfides ipsi colerent, ii, qui nova hæc **MAMERTI** Ambarvalia imitati sunt, suas etiam epulas aut jentacula, voluptatis causa, addidere.

§. XVII.

Verum, si hic fuerit Propositus **MAMERTO** institutarum harum ceremoniarum finis, nemo non, nobis etiam non monentibus, facile perspiciet, illam ipsam institutionem laudem nequaquam mereri posse, quod Gentiles, easdem fere a Christianis ceremonias exerceri videntes, cum polytheismo assuevissent, in externa Christianorum castra transire potuerint, animo a priscis superstitionibus nequaquam penitus avocato, ideoque institutionem horum Ambarvalium merito statuimus esse rejiciendam.

T A N T U M.



Coll. diss. A. 47, misc. 53